

sentatores, hominibus, non DEO, pro falsâ specie continentia placere volentes, graviora committunt: Patrum scil. uxores subagitant, masculorum ac pecudum amplexus non abhorrent, in quovis Sanctissimo ordine constituti, alienis uxoribus non dubitant abuti. Cumque quidam Episcopi & Archidiaconi, ita præcipites sint in libidinem, ut neque adulteria, neque incestus, neque masculorum (proh pudor,) turpissimos amplexus sciant abhorre; tamen casta Clericorum conjugia dicunt sibi fætere, & ab iis jubent & cogunt Clericos abstinere; & dicunt, honestius esse pluribus occultè implicari, quam apertè in hominum vultu & conscientia, cum unâ ligari. Sed va vobis Pharisei, qui omnia facitis propter homines: Item Clerici, dum licita unius mulieris consortia (Pharisaico furore devicti) relinquere coguntur fornicatores & adulteri, & aliarum pravitatum turpissimi ministri efficiuntur: Et quod flendo cernimus, omnes in supra dictis sæviunt sceleribus. Inde tantum Ecclesia DEI scandalum, tantum Clerus despectum patitur. Ne igitur Ecclesia, unica Domina Sunamitis, adulterinis diutius usa maritis, regale Sacerdotium, per irrecuperabile à suo sponso Christo avellatur divortium, extirpanda est Pharisaica illa doctrina ab Ovili DEI. Hæc omnia sunt Hulderici verba.

§. 25.

His itaque immotis fundamentis subjungemus etiam Exempla Sacerdotum conjugatorum tam V. quam N. T.

§. 26.

Nam ante diluvium Enoch, qui vitam cum DEO egisse scribitur, filios & filias ex conjugè suâ genuisse constat. Et Noah & Loth, præcones justitiæ uxores

ICS